



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus
Tres spirituales**

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

26. De varijs mortificationum modis, quos Sancti ad mortificandum
sensem tactus vsurparunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

mum itaque, in quo consistit mortificatio sensus tactus, est, omnia quoad licitè & commodè fieri potest, oblectamenta illi adimere. Deinde illum affligere perferendis aliquibus rebus molestis, ut frigore, æstu, labore, nuditate, genuflexione, disciplinis, aliisque apercitatibus, uti sancti Dei, ut iam dicemus, fecerunt.

CAPVT XXVI.

De variis mortificationum modis, quos sancti ad mortificandum sensum tactus usurpauerunt.

Quoniam exempla plus mouent, quam verba, piamque doctrinam probabiliorem reddunt, maxime si doctores ipsi factis testentur, quod verbis docent, idcirco cum hactenus ex sanctorum doctrina ostenderimus, quanta sint mortificationis sensuum merita apud Deum, deinceps idem nonnullis corroborabimus exemplis, atque ob oculos ponemus varios mortificationum, quibus vsi sunt, modos, ut quisque eam rationem mortificandi sequatur, quam suis viribus, statuique suo, adhibita in consilium discretionis, magis convenientem animaduerte.

uerterit. Et quanquam sanctis quibusdam variæ mortificationes familiares fuerint, nos tamē breuitatis causa præcipuas tantum quasdam in mediū proferemus, ac summam tantum narrationis, notato fonte, vnde cætera hauriri queant, perstringemus.

Visitata sanctis fuit mortificatio per vsum ciliciorum ex fetis vel pilis animalium contextorum, quæ vel continenter ad nudum corpus, vel statis diebus, quantum voluntas vel sanitas cuiusque postulabat, tulerunt.

Sanctus Ludouicus, Francorum rex, *Gausfrid. in eius vita.* licet tenero corpore esset, tamen aspero carnem domabat cilicio, vel cum valetudo non ferret, ex consilio Confessarij cum alia pœnitentia commutabat.

S. Zenobius, Episcopus Florentius, *Ioan. Arctim. In eius vita.* licet à parentibus nobilibus delicatè nutritus esset, tamen postquam Deus ei oculos mentis aperuit, omnibus corporis commodis renunciauit, magnaque seueritate carnem afflixit, atque imprimis cilicio; nec, cum ad Episcopatum, hoc est, ad grauiiores labores esset euectus, quicquam de priori asperitate detraxit, sed potius adauxit.

San-

*Paulin. Ep.
10. ad Sulp.*

Sanct. Paulinus Episc. Nolanus, qui ex ditissimo pauperrim^o factus est, propter Christum, cilicio ex pilis camelorum confuto carnem domuit: cumque Seuerus Sulpitius singularis eius amicus aliquando cilicium illi misisset, magnas ei gratias egit, vsum eiusdem, ceterarumque asperitatum per epistolam valde collaudans.

Sanctus Edmundus, Cantuariensis Archiepiscopus, à puero ex matris disciplina vsus est cilicio, & cum Patris studiosiorum causa amandaretur, bina secum detulit, ac quoties mater presentia ei mitteret indussa, cilicium quoque addebat, suadens vt quaque hebdomada biduo triduoque eo vteretur.

*Theobald.
in eius vita.
B. Damian.
in eius vita.*

Alij sancti non contenti cilicijs ex equinis crinibus, setis vel pilis contextis, corpora sua castigârunt loricis ferreis, vt S. Guilielmus Aquitanie dux, qui post conuersionem suam vsque ad obitum eam deportauit. Et B. Dominicus, ab eadem dictus Loricatus. Alij vinculis ferreis colla, humeros, brachia, lumbos onerârunt, vt Theodosius, Eusebius, Iacobus, & alij, quorum meminit in historia religiosa Beatus Theodoretus.

Quan-

Quanquam verò hæc exempla non omnibus imitanda sint, tamen meritò nobis quoque, sicut certamina Martyrum, spectanda proponuntur, vt dum cernimus quàm atroces contumelias, & cruces, atque adeò mortem dirissimam, deuictis tyrannis, pro Christo constanter perpeffi sint, animemur ad patienter libenterq; tolerandas leuiore in- iurias & cruces; ad expugnandas per- turbationes iræ, gulæ, superbix, aliasq; similes.

Vsurpatæ quoque crebrò fuere à san- *Sur. in vita*
ctis disciplinæ, hoc est, flagella è virgis *S. Godfrid.*
vel funiculis nodosis confecta. Beatus *Idem in se-*
Odo deserta seculari militia quotidie *ptem.*
ijs carnem spiritui subiiciebat. S. Nico- *Idem in Iul.*
laus Tolentinas inter ceteras poeniten-
tias, quas frequentabat, duris discipli-
nis corpus diuexabat. Sanctæ Brigidæ
parens Birgerus, licet nobilissimus, &
è stirpe regia, quoque die Veneris ad
glorificandum in corpore suo Christū
acriter in illud sæuiebat; vnde & san-
cta prole à Deo donatus est, nempè S.
Brigida. Fuere & alij homines Dei,
qui non ipsi modò se diuerberarunt,
sed etiam ex humilitate ab alijs cædi
voluerunt. Vt Sanctus Laurentius Ar- *Sur in Nono*
chiepiscopus Dublinensis in Hiber-
nia,

nia, ex regia stirpe oriundus, qui à quodam familiari suo ter in dies singulos, acrium ictus virgarum tergo excepit. Quòd idem legimus sponte Sanctum Thomam Cantuariensem post inieum Episcopatum à suo Diacono quotidie perpeffum. S. Dominicus ordinis Predicatorum institutor, non contentus qualibet nocte catena ferrea corpus suum tribus ictibus ferire, semel pro se, iterum pro peccatoribus huius mundi, tertio pro animabus in Purgatorio existentibus; ab alijs quoque volebat eadem diuerberari. Hoc mortificationis exercitium idèd illi Sancti & alij suscipere, quòd arbitrarentur maioris humilitatis esse, ab alijs, quàm à semetipsis flagellari; simulque nimie verecundiæ velamentum detrahebant illis, qui idcirco à sui deuerberatione abstinabant, ne si ad aliorum aures peruenirent, irridentur. Quæ tentatio demonis est, & idèd vincenda.

Sur. in Aug. Mortificarunt se quoque sancti ratione lecti. S. Audocus Rothomagensis Archiepiscopus in asperis virgultis somnum capiebat. B. Andreas Fesulanus, Episcopus in sarmentis. S. Iuo in nodosis virgis. S. Radegundis regina ciliciũ in cinere pro lecto vsurpabat, remota

com-

Sur. in Decemb.

Sur. in Aug.

commoditate plumarum, & linteaminum. S. Brigida inter alias poenas *Sur. in Inl.* voluntarias, quibus per annos triginta corpus suum affixit nocturnis horis in simplici tapete humi decubuit, vt ad precandum semper parata esset; nec lecto utebatur, nisi urgente nimio frigore.

Iam & in habitatione occasionem mortificandi se quæsiere. Multi enim inclusere se casulis perexiguis, & angustis, in quibus magno estu torrebantur, aliisque cœli iniurijs vexabantur, sed illi solis inferni cruciatibus menti obiectis fatebantur, ista toleratu facilia, multo autem magis, cum oculos erigerent ad immensa cœlorum spacia, quæ in omnem æternitatem erant inculturi. S. Olympius Abbas in specu *Prat. spir.* iuxta Iordanem sedem delegerat, in *c. 141.* quo & ardoribus solis valde urebatur, & culicum aculeis miserabiliter configebatur. Rogatus autem, quomodo æquò animo tam incommodum locum perferre posset, respondit, se æstum patienter ferre, vt liberari posset ab ardoribus inferni; culicum verò morsum ad præcauendum vermem conscientie damnatos in perpetuum morsurum. *In hist. relig.* Banadatus magna sanctitate vir, teste *c. 27.*
Beato

Beato Theodoro, tuguriū longè corpore suo breuius, & aliquot partibus uiuum, sic vt nec imbres, nec radios solares arceret, incoluit, & rerum creaturarum contemplationi suauissimè re-
cauit.

Verū neque defuere homines Deo qui tetrīs odorib. percipiendis se mortificauerunt; propterea quod curant suauibus odoribus plus nimio se in oculis oblectassent. S. Arsenius enim suis rogatus, cur aquam, in qua palmarum folia mollebat & macerabat, non subinde muraret, cum grauem & tetrā admodum odorem putrefacta naribus aspiraret, respondit. Ego me olim nimia suauium odorum fragrantia in perniciem animæ meæ oblectaui, autem damnum compensare contrarijs odoribus contrarijs.

Alia mortificatio Sanctorum fit cibis rerum insipidarum insipiente vel mixtione adimere omnem gustum. Vti faciebat Beat. Richardus confessor, qui panem auenaceum, quo vesceretur, cinere conspergebat. Et Sanct. Franciscus, qui nunc cinere, nunc frigida aqua cibos perfundebat. Idem faciebant in potu. Nam B. Gregorius Lingonensis Episcopus, vt abstinentiam suam

Mirac. l. 4.

c. 2.

*S. Bonauent.
in eius vita.*

alios cælaret, aquam quam bibebat so- *Petr. Vega*
 litus erat modico vino tingere, & sic *In eius vita.*
 nec aquam nec vinum gustabat. Do-
 minus Ferdinandus de Talauera Gra-
 natensis Archiepiscopus, vir sanctitate
 conspicuus idem faciebat. Nam denis
 aquæ partibus vnam tantum miscebat
 vini, vt sic & vino & aquæ saporem eri-
 peret. S. Arnulphus Episcopus, vt gu-
 statum falleret, turbidam aquam bibe-
 re voluit.

Aliud genus mortificationis olim
 sancti suscepere, & nunc multi retinent,
 vt nudatis incederent pedibus, & frigus
 aliq; incommoda amore Dei libenter
 perferrent. S. Gaudula Comitis Vingeri *Sur. in Aug.*
 filia, virgo licet tenera sine calceis et-
 iam hyeme incedebat: ad tegendam au-
 tem hanc mortificationem, quoties in
 conspectum aliorum ventura erat, cal-
 ceos quidem pedib. inducebat, sed sine
 inferiore solea. Idem fecit S. Hedv'igis *Sur. in Octob.*
 ducissa Poloniæ. Nonnulli sancti totum
 vitæ tempus, vel magnâ eius partem sine
 vltro corporis integumento, nulla cœli
 inclementia absterriti tradaxere, noctu
 diuq; errantes in montibus & solitudi-
 nibus, sanctissimisque contemplatio-
 nibus cœlo inhærentes; vt fuere san-
 ctissimi quique eremitæ, Macedonius,
 Iaco-

Jacobus, Simeon, Daniel Stylita, Sanctus Onuphrius, S. Maria Aegyptiaca, & alij multi eorum imitatores. Verum hæc in communi imitanda non sunt, nisi quatenus commouere nos queant ad minora quadam nostra imbecillitati congrua præstanda. Beatus Pater Ignatius, Societatis Iesu auctor & pater, ad mortificationes & asperitates, quas vsurpabat, vt quod ter quotidie disciplinam faceret, quod tota hebdomade, Dominico die excepto, ieiunaret, & crebrò solo pane & aqua contentus, quod somnum humi caperet; hæc quoque adiecit, vt multo tempore nudis pedibus incederet, donec Compluti Episcopi Vicarius illi mandasset, vt indueret calceos, cui, vt verè humilis, paruit.

*P. Ribadin.
in eius vita.*

Illam quoque mortificatio quibusdam placuit, vt licet natura duce corporis nitorem & munditiam amarent, tamen sui vincendi causa facerent contrarium. Scribit Beatus Athanasius de Antonium eremitam nunquam corpus suum, licet cilicio testum, lavisset, minus pedes, nisi quando opus erat flumen vadofum transire. S. Hilari- nem quoque testatur B. Hieronymus in eius vita, saccum, quo semel fuerat indu-

In eius vita.

indutus, nunquam lauiffe, ac putaffe
 superfluum munditias in cilicio quæ-
 rere. Diuus Gregorius Nazianzenus *In eim vita*
 etiam inter laudes Beati Basilij & San-
 ctæ Gorgoniæ idem commemorat. De
 sanctissimo Abbate Aulentio refert Si-
 meon Metaphrastes, in corpore eius
 nimia feueritate pœnitentiæ putrefa-
 cto enatos vermes, & tamen illum, si
 fortè in terram decidiffent, in vetus
 vulnus reposuiffe qui vir ob crebra mi-
 racula tantum sanctitatis nomen obti-
 nuit, vt Synodus œcumenica Chalce-
 donensis, quæ sexcentorum erat Patrū,
 vnà cum Imperatore Martiano illum
 ad se euocârît, vt probatis S. Synodi
 decretis sua autoritate & præsentia hæ-
 reticos conuinceret. B. Margaretha filia *Sur. in Ian.*
 Hugarorum regis mortificandi corpo-
 ris causa laneo tantum vtebatur indu-
 sio, quod vix vnquam lauabat. Cumq;
 moneretur, vt lauandum curaret, ne
 vermiculi nascerentur, respondit. Sini-
 te quæso hoc corpus meum amore
 Christi à vermibus consumi. Idem alij
 multi sancti fecêre. Quare notandum
 est, quod quamuis huiusmodi facta po-
 liticæ munditiæ aduersa, si non ab i-
 gnauiâ, & socordia, sed à mortificandi
 desiderio orta sint, laude digna sint, &

2. 2. q. 187.
Art. 6.

Deo grata, vt docet S. Thomas, indici-
umq; dent animæ à vitijs & perturba-
tionibus purgatæ, vt scribit S. Hierony-
mus ad Rusticum, tamen qui ratione
status & officij, quod gerunt, conuer-
santur cum hominibus, remouere à se
debent, quicquid offendere possit pro-
ximum; nec sancti eiusmodi mortifi-
cationibus vsi fuere, nisi cum remota
ab hominum conspectu in cœnobij,
vel solitudinibus degerent. Atque hæc
sufficiant de varijs mortificationū mo-
dis, è quibus quisque deligere poterit,
quos suo statui & conditioni, vitibusq;
tam corporalibus, quam spiritalibus
iudicabit magis conuenientes, & quos
discretio ipsa, & Patris spiritalis con-
siliū magis probabit.

CAPVT XXVII.

De mortificatione Lingue.

Grauiissima mala & damna lin-
guæ non refrænata, quæ diui-
næ literæ multis in locis patre-
faciunt, faciliè ostendant, quam fru-
ctuosa necessariaq; sit linguæ mortifi-
catio. Ac primum, quamuis sacrarum
literarum stylus admodum sit modera-
tus, & ab nimia amplificatione alienus,
tamen